


Georg Mejer    Jacobus Repentin


## **Disputationum Physicarum Prima De Natura Et Constitutione Scientiae Naturalis**

Rostochii: Myliandrus, 1610

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742735044>

Druck    Freier  Zugang






51

R. U. phil. 1609. 10.

12 gyl.

35 1717





*Disputationum Physicarum*  
PRIMA  
DE  
NATURA  
ET CONSTITU-  
tione Scientiæ Na-  
turalis.

*Quam*  
Divina Adspirante Gratia  
In Inclyta Academia Rostochiensis  
SUB PRÆSIDIO  
M. GEORGII MEIERI  
*Duderstadenſis Saxonis.*

Tuebitur  
JACOBUS REPENTIN,  
Plav: Megap.

*Ad diem 12. Maij horis & loco conſuetis.*  
Rostochij Typis Myliandrinis Anno 1610.

DE  
NATURA  
ET CONSTITUTIONE



JACOBI KEPLERII

## Prooemium.

**E**xercitium disputandi, quanta cum utilitate sit conjunctum, vix dici potest: Nam tacita quadam vi, mirum in modum mentem humanam adjuvat, instruit, perficit, ita ut istud qui sequitur, brevi ad summum templi Minervæ fastigium evadere, solidamque eruditionem atq; scientiam sibi comparare queat. Excitat enim vires ingenij, informat judicium, largitur cum uberiores præceptorum cognitionem, tum discurrendi artificium, adde & extemporaneam dicendi facultatem. Hinc non minus rectè, quam acutè magnus ille subtilitatum Doctor Julius Scaliger exerc: 308. *Altercationibus magis proficimus, quam tacitis meditationibus: Etenim sicuti lapidum collisione ignis: ita ex disceptationibus elicitur veritas.* Quapropter scientiam naturalem sub incudem disputationis revocare constituimus, idq; certis theorematibus, insistentes vestigijs, jure omnium Philosophorum principis Aristotelis, ita ramen ut controversias à Recentioribus Philosophis motas sicco quod dicitur pede haud prætereamus. Deus nostris conatibus adstet.

### Theorema I.

Physica est scientia quæ circa corpus naturale, ejusdemq; principia & affectiones versatur.

I. *Ne illotis quod dicitur manibus in doctrinam Physicam irruamus, placet prius in naturam ejus & constitutionem inquire*

*scientia e hnty pri:  
cipalis.*



vere, ut discens si non distinctam, confusam tamen habeat cognitionem ejus, qua futura est, tractationis.

II. Constituumus autem Physicæ genus scientiam. 1. Quia res naturales demonstrationem admittunt: non enim versatur Physica circa singularia, nam ea sub scientiam non cadunt, sed circa universalia, qua aliter se habere non possunt. 2. Quia physica est pars Philosophiæ speculativa: Tres enim sunt partes Philosophiæ speculativa, Metaphysica, Physica, & Mathematica, & cujuslibet partis genus statuitur scientia. 3. Quia in Physica est cognitio per causas veras proximas & immediatas. Scientia a. ejusmodi requirit cognitionem: Scire enim nihil aliud est, quam rem per causas cognoscere. Arist. lib. 1. post. analyt. cap. 2. 4. Quia Physicæ competunt omnia scientia requisita, de quibus Philosophus agit. lib. post. analyt.: Datur enim subjectum quod est corpus naturale, dantur affectiones ut sunt motus, tempus, locus, &c. dantur quoque causa sive principia quibus affectiones de suo subjecto demonstrantur. E. g. Demonstratur de corpore naturali corruptibilitas per principia, materiam videlicet & formam, in hunc modum: Quicquid est compositum ex materia & forma, illud est corruptibile. Atqui quodlibet corpus naturale est compositum ex materia & forma. E. quodlibet corpus naturale est corruptibile.

III. Huic sententia nostra se opponit Timplerus, Physicam non minus artem quam scientiam rectè appellari posse contendens: Vult enim ambiguitatem esse tam in vocabulo scientiæ, quam artis part. 1. Phys. cap. 1. quæst. 2. Et dicit. quod Physica sit scientia, quatenus sumitur pro habitu intellectuali, non verò quatenus pro systemate præceptorum methodicè dispositorum: Similiter quod Physica sit ars, quatenus sumitur pro systemate, non verò quatenus pro habitu cum recta ratione efficiendi aliquid, ut eam Philosophus definiit lib. 6. Eth. cap. 4.

IV. Et

IV. Et putat Physicam rectè per artem definiiri ob rationes:

I. Quod Physica prout jam explicatur & traditur, non consideretur ut habitus intellectualis, sed ut systema ex certis præceptis scriptis constans, cujus assidua lectione habitus intellectualis comparari possit. 2. Quod Physica sit  $\tau\epsilon\omega\phi\eta\lambda\omicron\upsilon\lambda\omega$ . Triplicem enim facit artem  $\tau\epsilon\omega\phi\eta\lambda\omicron\upsilon\lambda\omega$ ,  $\pi\epsilon\alpha\lambda\lambda\omicron\upsilon\lambda\omega$ , &  $\mu\iota\theta\eta\lambda\omicron\upsilon\lambda\omega$ , asserens Physicam neque esse artem  $\mu\iota\theta\eta\lambda\omicron\upsilon\lambda\omega$ , neque  $\pi\epsilon\alpha\lambda\lambda\omicron\upsilon\lambda\omega$ , sed  $\tau\epsilon\omega\phi\eta\lambda\omicron\upsilon\lambda\omega$ . In hancq; suam sententiam adducit Philosophum Physicam  $\tau\epsilon\omega\phi\eta\lambda\omicron\upsilon\lambda\omega$  appellatantem.

V. Verùm Timplerus, quando Physicam scientiam dici, & non dici posse diverso tamen respectu ait, nihil facit aliud, quàm quòd contendat, physicã considerari posse vel in mente, vel in libro, cui sententia nos minimè refragamur, sed illud negamus, Physicam propterea esse definiendam in libro, ob axioma longè verissimum: Unumquodq; accidens est definiendum in subjecto suo primo. Quia itaq; non liber, sed mens sive Intellectus Physica subjectum est primum, utiq; in intellectu quoq; definienda. Deinde pro arte quã adducit distinctionẽ ea tota erronea est, primò enim semetipsam exertit: Si enim Physica est ars, non erit in systemate seu libro, quia ars est habitus mentis, non minùs, quàm scientia. ideoq; ob quã rationem Timplerus negat Physicam esse scientiam, ob eandem negamus nos, esse artem. Erat enim ratio ipsius, quod scientia esset in intellectu, Physica verò in libro. Ergo Physica non per scientiam definienda. Si ista procedit collectio, procedet & hæc. Ars est in intellectu, Physica v. in libro, Ergo Physica non est per artem definienda, nisi forsã artem è numero habituum intellectualium exturbare velit. Quod verò secundò definitionem artis Aristotelicam rejicit, non video quo jure id faciat. Sic verò nos colligimus: Aut definitio artis, quam tradidit Aristoteles est vera, aut falsa. Si falsa; necessum est ut falsitatem demonstret: Sin vera; Physicam malè definit per artem, quia

artis definitio ei non competit. Cui autem non competit definitio, ei neque definiuntur. Tandem licet definitionem Aristotelicam rejiciat: tamen negare non potest, artem esse habitum mentis. Edisserat ergo, quomodo id quod est extra intellectum, in libro videlicet, possit definiri per id, quod est in intellectu.

VI. Ex hisce liquido constat, quid sit respondendum ad rationes ejus. Prima enim quod probat Physicam considerari posse, ut systema ex praeceptis scriptis constans, illud est ex accidente: Potest enim Physica, ut & omnis disciplina tradi & explicari, etiamsi non scriptura mandetur, quod inde probatur, quia omnis scientia atq. doctrina prius fuit in mente, quam literis comprehenderetur. Hinc scriptura simulacrum dicitur & imago conceptuum mentis. Altera nullo nititur fundamento: Non enim pro lubitu fingere debuit artes Timplerus. Et quid quaeso facit aliud quam quod turpiter petat principium: De eo enim queritur & disceptatur, an detur ars  $\tau\epsilon\chi\eta\eta$ , similiter  $\pi\epsilon\alpha\chi\eta\eta$ , ubi ipse affirmativam quidem tenet sententiam, sed eandem non probat. Quod verò Philosophum sua opinionis patronum proclamat, insignem ei injuriam infert: Nullibi enim Philosophus triplicem artem agnoscit. Et lib. 6. Ethic. cap. 4. ubi ex professo de arte egit, inquit, quod nulla ars sit, quæ non sit  $\mu\eta\lambda\eta\eta$ . Verba ejus hæc sunt:  $\text{Οὐδεμία ἔστι τέχνη ἕστιν ἢ τις ἔμετὰ λόγῳ ποιητικὴ ἔστιν ἕστιν.}$  Quod verò in Metaphysicis, & alibi Physicam vocat  $\tau\epsilon\chi\eta\eta$ , intelligit non artem sed scientiam, cum tota Philosophia  $\tau\epsilon\chi\eta\eta$  sive Speculativa sit scientia.

### Theorema II.

Subiectum sive ut magis propriè loquamur objectum Physices proprium & adæquatam

quatum est corpus naturale, quatenus naturale.

I. Est imprimis opera pretium statim in tractationis alicujus vestibulo de subjecto monere: Subjectum enim radix est sive unica illa origo, è qua omnia illa quibus scientia integritas sua constat fluunt, ideoq; recte basis sive fundamentum totius artis nuncupatur à Logicis. Et est ceu norma sine amissis; ad quam omnia scientiarum theoremata revocari debent, ideoq; in scientijs ipso subjecto haud quicquam est notius. Ea enim subjecti conditio est, teste Philosopho, ipsa quoq; veritate suum adijciente calculum, ut recognoscatur, ideoq; nulla scientia suum subjectum demonstrat, sed demonstratum accipit.

II. Sed non omnes de subjecto physices idem sentiunt. Quidam enim cum Thoma subjectum Physices constituunt Ens mobile: Quidam cum Scoto substantiam naturalem: Quidam corpus mobile: Quidam substantiam tam incorpoream, quam corpoream: Quidam deniq; Corpus naturale quatenus est naturale. Et sola postrema hac sententia vera est & approbanda, quia corpus fundamentum est eorum omnium, quæ in tota Physica tractantur, & nihil in ea consideratur ut subjectum, nisi tantum corpus naturale, aut species aliqua corporis naturalis. Quod a. Physica etiam agat, de materia, forma, & privatione, motu, loco, tempore & alijs, quæ tamen corpora naturalia non sunt, ad id respondemus tria esse quæ in scientijs considerantur, nimirum subjectum, affectiones & principia idq; omne homogeneous est, quod ad unum aliquod ex hisce tribus commodè referri potest, ideoq; etiam non diximus, nihil in Physica considerari, nisi tantum corpus naturale: sed nihil ut subjectum, nisi corpus naturale. Sic materia, forma & privatio habent rationem principiorum: motus, locus, tempus, & id genus alia, affectionum: fieri enim non potest, ut omnia ea quæ in scientijs collocantur, habeant rationem subjecti,  
cum

cum è tribus jam enumeratis perfecta constituatur demonstratio,  
& legitima methodica scientia constitutio.

III. Includimus a. subjecto etiã cœlum, quod licet varijs mutationibus, vicissitudinibusq; non ita sit obnoxium ut cœtera corpora sublunaria: tamen quia est corpus naturale ex materia & forma compositum, non immeritò ad subjectum Physices refertur. Quod autem Philosophus compositionem ex materia & forma cœlo deneget, & propterea corpus naturale non univocè, sed ut τὸ φυσικὸν de cœlo enunciari contendit, in eo à præceptore discedimus, non temerè tamen & sine omni ratione, qua de re ex professo, ubi ad considerationem cœli accessum fecerimus, acturi sumus. Habeat ergo hic locum istud, quod ipse lib. I. Ethic. cap. 6. nobis reliquit, veritatem videlicet omni authoritati esse anteponendam.

IV. Superiores verò opiniones tres si dextrè accipiantur, nostra sententia non repugnant. Ipse enim Philosophus alijs nonnunquam vocibus idem subjectum, Corpus naturale exprimit, ut lib. I. de cœlo inquit Physicam versari in corporibus: lib. 3. circa substantiam: Et alibi circa talem substantiam in qua est principium motus & quietis. item, circa Ens mobile. Sed hæc, & ejus generis alia, reipsa non discrepant, sed saltem τὸ φυσικὸν sive nominetenus idcirco supervacaneum existimamus in eorundem conciliatione multùm desudare. Hoc tamen adijciendum videtur: ut in accipiendis generibus definitionum delectus habendus est: prætermisissis ijs, quæ nimis longè sunt petita: Ita in subjectis scientiarum constituendis. Ex omnibus autem quæ adduximus, proximum est corpus naturale: Substantia enim, ut & Ens, aliquantò communiora sunt, limitesq; naturalis scientia excedunt, quanquam per modum considerandi postmodum restringuntur.

V. Illa autem sententia qua statuit ad subjectum, Physices referri tam substantiam incorpoream, quam corpoream prorsus er-

sus erronea est, & concedi nequit: Nam etiamsi Physica agat de Deo: tamen de eo non agit absolute, quatenus est Deus, sed quatenus est Primus motor sive causa efficiens omnium rerum in mundo. De angelis nullo modo agit Physica. Non n. dantur intelligentiæ orbium motrices, ut suo loco demonstrabimus. De anima rationali agit respectivè, quatenus informat corpus, absolutam verò ejus tractationem ad Metaphysicam rejicit.

### Theorema III.

Physicæ finis non est actio, sed corporis naturalis cognitio sive contemplatio.

I. Versatur n. Physica circa corpora naturalia, non operationis ergo sed contemplationis sive simplicis & nuda veritatis in reb. naturalibus. Quod enim in nostro arbitrio non est, ejus propriè nulla datur actio, naturalia verò suam ex & in sese habent necessitatem, neq. ullis hominum viribus mutari possunt. Accedit & illud, quod Philosophia speculativa & practica sine vel maximè differant, quia itaq. practica finis est actio, actio non poterit esse finis Physica, Physica enim ad Philosophiam speculativam refertur.

II. Verùm huic sententiæ. Ramei uno ore omnes refragantur, eamq. impugnare conantur duabus potissimum rationibus. 1. Quod contemplatio communis sit omnibus disciplinis: Primò n. Metaphysica & Mathematica competit. Deinde etiam disciplinis practicis, quia nulla est *πραξις* quæ non conjuncta sit cum contemplatione. 2. Quod contemplatio nil aliud sit, quàm mentis actio. Si ergò finis Physicæ constituitur cotemplatio, utiq. & actio.

III. Sed salva res est: non enim tantum habent ponderis rationes hæc, ut propterea ab unanimi Peripateticorum sententiâ recedamus. Prima enim concedi nequit, nam non contemplatio prout finis constituitur Physicæ, finis etiã est aliarum scientiarum, quod probatur ita: quia Physica contemplatur corpus naturale,

Methaphysica verò non corpus naturale, sed Ens. Similiter nec Mathematica contemplatur corpus naturale, sed corporis accidens, nimirum quantitatem. Falsum autem planè est, quod Philosophia practica finis sit contemplatio, aliàs cum Speculativa coincideret. Quod verò omnis  $\pi\epsilon\acute{\alpha}\xi\iota\varsigma$  conjuncta sit cum contemplatione, non negamus quidem, sed contemplationem illam propterea esse finem omninò insciamur, nam contemplationi in disciplinis practicis non acquiescimus, sed eam ad operationem dirigimus. Is autem finis est artis cujusdam proprius & legitimus, ad quem omnia qua in illa arte tractantur, ultimò tendunt.

#### Theorema IV.

Rectè dispescimus Physicam, in partem generalem & specialem.

I. Supra Physicam definivimus perscientiam, quia verò omnis scientia est habitus, non immeritò hic dubitari potest, num etiam in partes dirimi & secari queat: Habitus enim, quia secundum Philosophum ipsi formæ equiparatur, dividi non potest, Ratio est: quia omnis formæ expers est divisionis, non enim est composita. Quando verò formam dividi contingit, id fit ratione materie cui inest: Sic habitus per se quidem non dividitur, sed quando dividitur, dividitur ratione rerum circa quas est occupatus, quia enim res illæ dividua sunt, accidit & consequitur earundem rerum respectu, & ipsum habitum dividuum esse. Quia itaq; Physica versatur circa corpus naturale, illudq; vel in genere, vel in specie considerat, oritur divisio Physica, in partem generalem & specialem. In illa agitur de communissimis corporum naturalium principijs & affectionibus: In hac specialis corporum naturalium consideratio suscipitur.

II. Et hanc divisionem veram esse & legitimam probamus:  
1. Quia desumpta est ex ipsa Physices essentia: Constat enim  
Physi-

*Physica & rebus generalibus & specialibus. Omnis autem divisio desumenda est ex ipsa rerum quas partimur essentia.*  
2. *Quia neq; nimis est angusta, neq; nimis lata. Omnis autem divisio neq; debet esse angustior neq; latior suo divisio. 3.*  
*Quia ad conditionem subjecti quod est corpus naturale, est accommodata: corpus enim consideratur vel in genere, vel in specie! Et Omnis divisio scientiarum ad conditionem subjecti vel maximè debet esse accommodata.*

III. *At infringi posse videtur his rationibus: 1. Quod pars una alteri non sit opposita: Generalis enim sub se continet specialem. In omni autem legitima divisione pars parti semper debet esse opposita. 2. Quod pluribus accommodari possit disciplinis: Nam & Logica dividitur in partem generalem & specialem, ut & Metaphysica, Quæ verò pluribus disciplinis accommodari potest partitio, non est legitima.*

IV. *Hisce argumentis quomodo ergo occurrendum? Respondemus ad primum quod pars generalis speciali omninò sit opposita: Quicquid enim est generale, non est speciale, & contra: Quicquid est speciale, illud non est generale. Quod verò pars generalis sub se specialem continere dicatur, illud concedimus quidem, sed tamen hac ratione, ut cognita parte generali, pars specialis non nisi confusè cognoscatur: Et sic pars generalis & specialis sibi invicem non opponuntur. Caterùm distincta partis specialis cognitio, sub generali non comprehenditur nam cognitis generalibus, non statim distinctè cognoscantur specialia. Et hoc modo pars specialis parti generali est opposita. Ad secundum, quod vocabula quidem pluribus disciplinis accommodari possint, non verò res ipsa. Sic quod Metaphysica & alia disciplina dividantur in partem generalem & specialem, commune habent cum Physica, non quo ad rem, sed nuda vocabula. Nam res sive objectum in Metaphysica est Ens: in Physica corpus. Et considerat Metaphysica Ens suum primò in genere, secundò in specie: Physica considerat*



considerat non Ens, sed corpus, primò in genere, deinde in specie. Et est planè eadem ratio divisionis & finis: Ut enim contemplatio sive cognitio qua est finis Physices saltem nominatenus Metaphysica attribuitur: sic & divisio. Nam contemplatio in Physicis est corporis naturalis; In Metaphysicis verò Entis, Et divisio Physices respicit corpus naturale: Metaphysices verò Ens.

## Corollaria.

I.

*An definitio alicujus disciplina abesse possit, salva manente ejusdem essentia? A.*

II.

*An detur rerum naturalium scientia? A.*

III.

*An Physica contrarietur Theologia? N.*


IV.


*An Physica sit disciplina utilis & necessaria? A.*











306. sect. 20. in hac verba erumpens: Omne quod est, a primo principio, aut à primo principio. Unalia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia corruptibilia. Est itaq; spiritus corruptibilis: & natura: nunquam vero corrumpitur: & nunquam immortalitate Deo ipsum donavit.

### Theorema II.

Spiritus est vel Angelus, rationalis.

Legitimam hanc esse spiritus divisionem, concedere licet. Nam 1. Angelus tantum, & animalia existunt. 2. immortalitate fruuntur. 3. per se existunt. Ergo etiam tantum spiritus existunt.


### Theorema III.

Angelus est spiritus, qui per se existit, sed semper extra corpus.

I. Dicimus Angelum per se nunquam in corpore existere, sed per accidens tamen id fieri posse, concedimus. quando corpora assumere, ut appareant hominibus. Et testatur Scaliger, Angelos ipsos sibi corpore existere. 359. sect. 13. Verum quia hujuscemodi corpora non sunt, & natura eorum non est, corporibus reformare, merito per se ab omni corporis unione separantur.

II. Sunt vero Angeli in duplici differentia: quidam mali. Malitiam intelligimus, sed moralem. Diabolus enim ratione esse bonus, ac Angelus bonus. Quia 1. est Ens. 2. bonum: quia bonum cum Ente convertitur. Quicquid autem à Deo creatum est, bonum est.

A 3



the scale towards document